QVAESTIONES MYTHOLOGICAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
IN ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XIV MENSIS AVGVSTI MDCCCLXIX HORA XII

PVBLICE DEFENDET


HERMANNVS OSTHOFF,
WESTFALVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

COROLVS GOERING, DR. PHIL.
IVLIVS FISCHER, AVSCVLT. IVR.
PAVLVS LVDOVICVS IVNKER, STVD. THEOL. EVANG.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGI.




BIBLIOTHEQUE CANTONALE
LAUSANNE
ET UNIVERSITAIRE



RVDOLFO ROTH

ALBRECHTO WEBER

PRAECEPTORIBVS BENEVOLENTISSIMIS

SACRVM.

Graecos et Italos diutius olim inter se quam cum ceteris Indo-Germanis fuisse coniunctos siue exstitisse aetatem quam uocant Graeco-Italicam quamuis summa doctissimorum uirorum auctoritate firmatum uideatur, tamen nuperrime non defuerunt, qui labefactare illam opinionem conarentur. Inprimis Lottner commemorandus est, qui certis argumentis et ex grammaticis populorum systematis et ex historia uictus cultusque comparatiua petitis nisus Graeco-Italicam aetatem statui omnino non posse demonstrauit. (Kuhnii Ztschr. für vergleichende sprachforschung VII, p. 18 sqq., 161 sqq.). Tantum enim abesse docuit, ut cum Graecis propinquior Italis affinitas intercedat, ut iis populis, qui septemtrionales Europae regiones incolunt quosque ipse septemtrionalium populorum nomine amplectitur, dico Celtis Germanis Slauo-Lituanis Itali adnumerandi sint. Atque ita quidem Lottner (ibid. p. 193) seiunctiones migrationesque populorum Indo-Germanorum euenisse arbitratur, ut primum Europaei, communibus in Asia sedibus relictis, ab Indo-Eraniis siue Ariis segregati aliquantum temporis unum populum effecerint, deinde ex Europaeorum uniuersorum coniunctione Graeci sese primi separauerint, tum demum, interiecto haud exiguo temporis spatio, quo multis mutationibus grammaticis linguae a primitiuo statu degenerare coeperint, id quod illorum populorum fuerit reliquum in Italos Germanos Slauo-Lituanos sit dilapsum. Celtas autem, de quibus suspicari magis quam pro certo dicere liceat, post Italos quidem,

sed ante Germanos et Slauo-Lituanos separatas sedes petiisse ueri simillimum esse. Et alio quidem loco (Kuhnii et Schleicheri Beiträge zur vergleichenden sprachforschung II, p. 309 sqq.) Lottner ad sententiam suam magis confirmandam ea, quae de Celtis loco supra laudato suspicatus erat, comparatis nonnullis Italorum et Celtarum formationibus grammaticis, rationibus et argumentis fulciuit; ad eam autem argumentationis summam peruenit, ut in partes tres maiores Indo-Germanos Europam incolentes esse diuidendos censeat, quarum unam Graeci efficiant, alteram Italo-Celtae, Germano-Slauo-Lituani tertiam. Nam quin hi tres quos proxime nominaui populi propinquiore inter se cognatione sint coniuncti, quemadmodum Schleicher Beiträge I, p. 11 sqq. de iis disputauerit, non iam posse dubitari. Quae si probarentur, re uera aetas Graeco-Italica non iam statui posset.

Idem fere, quod Lottner proponit certissimum, opinari uidetur Sonne, sed aliter pronuntiat. Cf. Kuhnii Ztschr. XII, p. 273. Qui cum animaduertat Graecorum linguam in usu syntactico nonnullarum particularum — ut *u*=*υ* in *ὀ-υ-τος*, *ἁ-υ-τη*, *το-υ-το*; *ca*=*τε* — mirum in modum cum sermone uedico consentire, tantum abesse putat, ut aetatem Graeco-Italicam statui necesse sit, ut Graecam linguam cum Perso-Indica linguarum familia arctius coniungere liceat, e quibus illa occidentem uersus maxime promota sit. Quod quidem utrum probabile uideatur necne, in medio relinquatur.

Si uera sunt, quae et ex grammaticis populorum systematis et ex historia uictus cultusque comparata effici uolt Lottner — id quod equidem non dubito —, in mythologicis quoque rebus diuersitas Italorum et Graecorum arctiorque illorum cum septemtrionalibus populis cognatio cernatur necesse est. Nam mythologicas quaestiones ad eas, quae de uictu cultuque sunt, quam proxime referri, quis est quin uideat? Et quamquam nec mythologicis

solis neque iis, quae ex historia uictus cultusque depromuntur, argumentis de ratione, quae inter populos duos intercedit, certo conici potest, sed solis iis argumentis, quae ipsa linguarum natura suppeditantur: tamen addita eiusmodi argumenta, quibus ea, quae ex ipsa linguarum natura concluduntur, reddantar firmiora, omnino contemnenda non sunt.

Sed cum is, qui in res mythologicas inquirit, semper in lubrico quasi sit raroque tam prope ad ueritatem accedat, quam qui ipsa linguarum natura ducitur; in comparandis Graecorum et Italorum religionibus eo maius, ne a uero aberret, periculum est, quod iam inde ab antiquissimis temporibus ualuisse multum Graecos cum in aliis rebus tum ad conformandam Romanorum religionem constat ob eamque rem, quid sit Italorum proprium, quid a Graecis assumptum, discernere saepe difficillimum est. Quae quidem non minima uidetur causa fuisse, cur tam diu utriusque religionis diuersitas ignoraretur, neque, ubi intellecta est, tanta esse uideretur, ut arctiorem Graecorum et Italorum cognationem statui uetaret.

Nominum congruentiam certissimum fundamentum esse, quo omnis mythologia comparatiua niti debeat, cum inter omnes constet, apparet eos populos recte putari cognatissimos, inter quos quam plurima deorum rerumque diuinarum nominum congruentia intercedat. Iam si iidem dii eademque deorum nomina apud alios populos inueniuntur, id certe dubitandum non est, quin, cum hi populi ad eandem cognationem adiciendi sint, arctior iam non possit inter duos illos statui cognatio. Et hoc quidem de Graecis Italisque, quorum communia deorum nomina haud leuis esse momenti semper putabantur, censendum est.

Summum numen diuinum Iuppiter apud Italos, apud Graecos *Ζεύς* appellatur; quae nomina eadem et a radice *div* (*dyu*) deriuanda esse constat. Sed cum Indorum deum *Dyaus* (nominat.), qui haud raro *Dyaush pitâ* = *Ζεὺς*

πατήρ = Iuppiter cognominatur, Germanorum *Ziu* siue *Tyr*, qui primitiua lingua theodisca *Tius* in forma nominatiui non potest non nominatus fuisse, accuratissime cum nominibus *Ζεύς* et Iuppiter congruere uideamus, *Ζεύς*-Iuppiter peculiaris Graeco-Italorum deus putandus non est. Dixerit fortasse quispiam *Dyaus* in religione uedica nec summi numinis umquam neque omnino dei partes sustinuisse, sed caelum lumenque caelestum significasse, ita ut uis magis cosmogonica quam deus esset, *Dyaus* autem apud Graecos demum et Italos in locum summi dei successisse. Sed hoc ipsum concedatur; quamquam eiusmodi locis, ut Ṛgv. IV, 17, 4, ubi *Dyaus suvī́ras te janitā́ índrasya kartā́ svápastamaḥ* „uiris bene ornatus tuus (Indrae) genitor Indrae creator operibus excellentissimus" appellatur, Ṛgv. VI, 51, 5. I, 136, 6 et multis aliis locis, quibus una cum aliis diis inuocatus *Dyaus* semper eodem modo, quo Ianus apud Italos (cf. Macrob. Sat. I, 9, 3. Arnob. III, 29) in precibus supplicum primo loco ponitur, demonstrari uidetur, deum *Dyaus* antiquiore tempore apud Indos quoque nobiliorem obtinuisse locum. Conferatur *Maximilianus Müller, Vorlesungen über die wissenschaft der sprache* II. Ser. p. 401: *„Dyu muss früher als ein thätigerer, so zu sagen, dramatischerer gott aufgefasst worden sein"*.

Reliquus certe Germanorum *Ziu-Tyr* est, qui cum in carminibus Eddicis ad inferiorem bellici dei dignitatem recideret, in meridionalibus Germaniae partibus pristinam maiestatem diu retinuit. Hunc enim deum fulgenti lucentique caelo antiquitus praefuisse Iacobus Grimm demonstrauit, Deutsche mythologie p. 175 sqq.; hunc eundem esse, quem regnatorem omnium Semnones, uetustissimi nobilissimique Sueborum colerent (Tac. Germ. 39), probauit Simrock, Handbuch der deutschen mythologie p. 292. Ac uetusta fuisse illa Semnonum sacra, ex hisce Taciti uerbis satis elucet: fides antiquitatis religione firmatur. *Ziu* autem deum in meridionali Germania diutius quam

apud Scandinauos in suo loco remansisse non mirabimur, si Grimmii uocis meminerimus, quam edidit Mythol. p. 343: „*Die inneren Deutschen lagen der römischen fabel näher, ohne daß irgend entlehnung stattgefunden zu haben braucht*“.

Quodsi quis uedicum *Dyaus* non dei nomen, sed appellatiuum esse uolet, restat tamen trium Europaeorum populorum in summi dei nuncupatione consensus; unde nouo, id quod Lottner sentit, argumento confirmatur, Europaeos ab Indo-Eraniis separatos aliquamdiu unum populum effecisse. Nam omissa appellatiua nominis *Dyaus* notione Europaei congruenter summi numinis diuini nomen inde sumpserunt, eodem modo, quo ex contrario Graecum *οὐρανός* appellatiuam solam notionem retinuit, uedicum *Varuna* nomen proprium dei factum est.

Idem, quod de Iouis Graecique *Διός* nominibus, de plerisque diis Graecorum et Italorum demonstrari potest: non esse peculiares Graeco-Italorum deos, sed ex communi omnium Indo-Germanorum fonte fluxisse.

Atque ut illuc, unde omnis haec disputatio orsa est, reuertamur, recte Grassmann, quantam Graeci uim ad commutandam Italorum religionem habuerint, uidetur iudicasse, quippe qui Latinos Oscosque, cum frequens haberent cum coloniis Graecorum Italicis commercium, iam antiquissimis temporibus permulta deorum nomina ex religione Graeca censeat esse mutuatos. Cf. Kuhnii Ztschr. XVI, p. 105. In eorum autem deorum numerum, quorum nomina a Graecis assumpta in religionem Italorum transierint, Grassmann Latinorum Herculem, Oscorum Hereclom refert. Repugnare enim non solum legibus etymologicis, si quis inter Herculem et *Ἡρακλέα* Graecorum cognationem uelit statuere, uerum etiam eo magis probabile esse Latinos et Oscos illud nomen a Graecis esse mutuatos, quod Vmbrorum religio, quae gens omnino Graecis deorum nominibus abstinuerit, deo Hercule nominato careat. Atqui tam penitus adhuc inhaesit et quasi insita fuit

uirorum doctorum animis opinio, Herculem iam inde ab omni aetate in Italorum deorum numero fuisse, ut, cum intellexissent hunc in religionibus Italorum longe alium atque apud Graecos *Ἡρακλέα* locum obtinere, facere non possent, quin nomen Herculis Italorum esse proprium, deum ipsum antiquitus numen quoddam agreste fuisse arbitrarentur.

Quo concesso id certe dubitari non potest, quin Herculis et *Ἡρακλέους* naturae quam maxime differant, nominum radices, cum uix umquam Graecorum spiritui aspero Latinorum *h* respondeat, omnino non possint coniungi. Atque Mommsen quidem (Unterital. dial. p. 262) in deriuando Herculis nomine, quem tamquam custodem domesticum saeptis olim rusticorum fundis praefuisse censet, ad eam radicem confugit, quae sub uerbis „*hercere herciscere*“ latet. Quem doctorem secutus Bréal, qui et ipse seiungit Herculem et *Ἡρακλέα*, Herculem significasse putat: „*le dieu veillant sur l'enclos, le génie protecteur de la maison*“. Cf. Bréal Hercule et Cacus p. 53. Multis autem de causis satius uidetur esse, in iis, quae Grassmann de hac re docuit, acquiescere; praesertim cum Preller (Röm. mythol. p. 640 sqq.), Herculis cultum Cumis Romam migrasse ibique in Semonis Sanci uel Dii Fidii locum successisse comprobet et Bréal (Hercule et Cacus p. 54), eam fabulam, quae de Herculis et Caci pugna agit, ab eodem illo prisco deo Italico ad Herculis nomen translatam esse demonstret. Sed de hoc Semone Sanco infra copiosius disputabimus.

Si accuratius utriusque populi religionem inspexerimus, praetermissis et illis deorum nominibus, quae in communibus Indo-Germanorum radicibus haerent, et iis, quae iam inde ab ultima aetate Itali a Graecis sunt mutuati, una restabit Vesta, quam eandem ac Graecorum *Ἑστίαν* esse constat.

Eius autem nomen ad eandem radicem referendum est, quae sub uoce Graeca *ϝάστυ*, sanskritica *vâstu* latet

et cui habitandi notio subiecta est. Iam cum Indos uedico tempore *Vâstoshpatim,* i. e. genium et protectorem firmi domicilii coluisse Rigvedae carminibus doceamur, recte Grassmann l. c. p. 172 sqq. hunc quoque mythum ut in aetatem Indo-Germanorum recedere ita in Graecia et in Italia singularem formam atque speciem induisse arbitratur. Nec uero displicet eidem uiro docto id quod Cicero ait in eo libro, qui est de natura deorum II, 27, 67: „*Vestae nomen a Graecis est; ea est enim, quae ab illis Ἑστία dicitur*". (Conferas etiam eundem scriptorem in Legibus I, 12, 29.) Quod quidem haud leuiter Grassmanno eo uidetur confirmari, quod in Vmbrorum deorum numero Vestam desideres frustra.

Neque tamen, ut placet Grassmanno, Vestae nomine ad Graecos reiecto, Oscorum dea Entra, sed Caca, Caci daemonis soror, in illius locum substituenda mihi uidetur, cui peruigili igne (al. per uirgines) sicut Vestae sacrificatum esse a Seruio ad Aeneid. VIII, 190 perhibetur. Caca, quamuis pauca de hac dea memoriae prodita sint, antiquissimae originis speciem prae se fert; neque equidem cum ipsa uedica *Saramâ* comparare eam dubito. Quemadmodum enim Saramâ praedicatur, quod firmum boum stabulum — Ṛgv. I, 72, 8:

vidád gávyaṃ sarámâ dṛḷhám ûrvámṃ —

uel quod saxi, i. e. nubis fissuram, in qua boues latebant — Ṛgv. III, 31, 6:

vidád yádî sarámâ rugṇám ádrer etc. —

uel quod Indrae et Angirasum iussu generi humano (Kuhn: infanti suo Sârameyae) potionem inuenerit — Ṛgv. I, 62, 3:

indrasyấngirasấṃ ceshṭaú vidát sarámâ tánayâya dhấsím —,

quo facto modo Bṛihaspatis, ut loco proxime citato, modo Indra, ut Ṛgv. IV, 16, 8 traditur, saxum diffidisse puta-

tur: sic prisca illa dea Italica Herculi fecit indicium de furto boum per fratrem commisso uel, ut ait Seruius, fratrem prodidit, unde sacellum meruit. Cf. Lactant. I, 20, 36 et Seru. ad Aeneid. VIII, 190. Quae fabula tametsi per scriptores inferioris aetatis ab obliuione uindicata est, tamen non est, cur non ad ultimam aetatem pertinere existimetur; praesertim cum Lactantium et Seruium ex ipso Varrone hausisse eam haud ita ueri dissimile sit. Apparet igitur non solum, eam fabulam, quam de Caca fingebant Itali, ex ipsa Indo-Germanorum religione naturali emanasse, sed etiam ipsam Saramâm deam Cacae illius naturae esse lumen allaturam. — Ceterum maxima illa in hac fabula Italorum et Indorum consensio iam antea doctorum uirorum oculos in se conuertit, ut Rosenii in Adnotationibus ad Ṛgv. I, 6, 5, Kuhnii in Hauptii Zeitschr. für deutsches altertum VI, p. 128. Neque leuis illis uidebatur esse momenti, quod in utriusque populi mytho boues mugitu latebras patefaciunt.

Quamquam dubitandum non est, quin uniuersi olim Indo-Germani mythi illius fuerint participes, tamen ad illam formam, quam in Italia et in India mythus induit, Eddica proxime mythologia accedit, in qua, sicut Indra a Saramâ, Hercules a Caca adiutus boues recuperat, sic *Odhin* Gunnloedha iuuante Suttungum daemonem immortalitatis potu spoliat. Cf. *Hâvamâl* 108. In Scandinauico autem mytho potum non boues rapi mirum esse non potest. Namque Saramâ quoque modo boues modo *dhâsim*, quae alias *amṛitam* uel *madhu* nominatur, dicitur indagasse; et utraque re aquas caelestes e nubibus effusas, quibus terra omniaque animantia quasi boum lacte recreentur, constat significari.

Sed cum illud etiam accedat, quod Gunnloedha, Suttungi gigantis filia, Caca Caci, boum raptoris, soror uocatur, facere non possumus, quin et Saramae et Dâsapatniae naturis respondere utramque deam statuamus. Hos

duos mythos mature in religionibus Indo-Germanorum inter se misceri et confundi, ex dea lucidum deum in recuperandis lucis thesauris adiuuanti exsistere uirginem diuinam, quae daemonum arbitrio subiecta ipsa a deo lucido appetatur et liberetur, equidem persuasum habeo. Ac re uera, si M. Müllerum sequi licet in iis, quae de Saramae et *Ἑλένης* mytho exposuit (Vorlesungen üb. d. wissenschaft der sprache II. ser. XI, p. 435 sqq.), Graecos et ipsos duplici illa atque ancipiti natura, cuius primordia tantum praebet Ṛigveda — cf. Ṛgv. X, 108, 9 —, Helenam instruxisse credibile est.

Quae cum ita sint, Cacam uel aeque ac Saramâm (cf. Kuhn in Hauptii Ztschr. für deutsches altertum VI, p. 131) procellam, cuius auxilio daemon nubes occludens deuincitur, uel ipsam nubem sicut Dâsapatnîm (cf. idem in Ztschr. f. vgl. sprachforschung I, p. 464 sqq.) significasse mihi persuasum est.

Sed ut ad propositum reuertamur, si quidem Caca procellae uel nubis numen erat, qui fit, ut, quia fratrem prodiderit, sacellum meruerit, in quo ei peruigili igne sicut Vestae sacrificabatur?

Quam penitus in religionibus Indo-Germanorum ea, quae de potu immortalitatis et quae de igne sacro acquisito fingebant, inter se sint implicita et cohaereant, uir doctissimus A. Kuhn in eo libro, qui inscribitur: „*Die herabkunft des feuers und göttertranks*“ multis locis docte ac diserte demonstrauit. Ex nube potus, ex nube ignis deferri uidebatur. Ac si qui alii praeter summos deos (Indram, *Δία*, Odhinum) utramque rem rapuisse putantur, inter hos procellarum et uentorum numina fuisse non mirabimur. Nam homines antiquissimi, cum procellae maxime et uentorum ui arborum ramos in siluis inter se teri trituque ignem gigni conspexissent, facile eandem originem ad caelestem ignem siue fulgur detulerunt. Quam ob rem Mâtariçvanis nomine, qui saepissime in

Rigveda ignem terendo progenuisse dicitur, uentum significari, id quod commentatoribus hymnorum uedicorum placet (cf. Nirukta 7, 26), a uero omnino non abhorret; quamquam lexicon sanscritum Petropolitanum Mâtariçvanem superiore quidem uedico tempore illud ualuisse negat. Saramâm autem eam ipsam procellam, quae tempestatibus praecurrit et tonitrua fulminaque excitare uidetur, Kuhnio auctore intellegimus.

Quodsi Cacae nomine siue procellae siue nubis dea cum fulgure arcte coniuncta significabatur, peruigil ille ignis, quo ei sacrificabatur, propterea sacer fuit, quod fulguris uices sustinebat, cuius quasi effigies et imago terrestris habebatur. Neque illud praetermittendum esse censeo, quod Cacus Volcani filius nominatur; unde mihi quidem nihil aliud effici uidetur, nisi Cacum eam in antiquissima religione fulguris uim amplexum esse, quae pestifera et exitiosa hominum animis occurrebat; sororem eandem tempestatem caelestem, quatenus salutaris sit, significasse. Et mox quidem haec numina, cum magnis saepe Italia ignium montanorum eruptionibus conflictaretur, his quoque ignibus, quibus et ipsis origo diuina tribuebatur, praeesse coeperunt. Cf. Vergilius in Aeneid. VIII, 199, qui Cacum describit atros ore ignes uomentem; et Walz: „*Ueber die altital. religion*“ in *Verhandlungen der 7. philologenversammlung* p. 52.

Iam cum in Hauptii Zeitschr. VI, p. 129 Kuhn geminos illos Lares praestites forma canina indutos, quos Ouidius in Fastis (II, 615; V, 137) commemorat, cum duobus Indorum Sârameyis, Saramae filiis, comparauerit, etiam ab hac parte optime discimus, cur ea dea, quae Saramae in prisca religione Italica uices tuebatur, talem, qualis Vestae fuit, cultum meruerit. Caca uidelicet Larum geminorum, sicut Saramâ Sârameyarum, genitrix fuit; Lares autem et Penates a Vestae ui non longe abfuisse constat.

Neque minus certe Accam Larentiam huc rettulerim, quae haud scio an nihil aliud nisi alia eiusdem deae species sit. Neque enim solum Larum matrem Accam Larentiam plerumque interpretantur, uerum haec et ipsa geminos illos heroes Romulum Remumque, quasi Lares ciuitatis, non peperisse quidem, sed uberibus aluisse fertur. Quod uero alias lupam urbis conditoribus mammam praebuisse uel Accam Larentiam Lupam cognominatam fuisse inuenimus, recte Preuner (Hestia-Vesta p. 389) Lupercam potius quam Lupam arbitratur Accae cognomen fuisse, ut ex iis, quae Arnobius IV, 3 tradiderit, satis eluceat. Luperca uero cum idem ualeat quod canis femina, reliquum id esse caninae ueteris Saramae naturae equidem censeo. Neque ea, quae in Herculis et Accae Larentiae amoribus in agro Romano fabula uersabatur, repugnare huic Accae naturae uidetur. Est enim illa non aliter uirgo diuina deo lucido desponsa ab eoque liberata, atque in uedica mythologia *Dâsapatnî*, *Περσεφόνη-Δέσποινα* apud Graecos, Gunnloedha uel Iduna uel Nanna uel Gerda uel Freyja uel denique Brynhilda in religione Scandinauorum.

Itaque cum huiusmodi deam tanta in religionibus Indo-Germanorum dignitate uti uideamus, mirum esse non potest, huius uim paullatim ita esse amplificatam, ut nouam quasi in Italia deam Vestam ex sua natura peperisse uideatur. Nonne enim in Graecia ex eiusdem deae natura *Περσεφόνην* reginam inferorum eandemque terrestris fertilitatis parentem esse profectam uidemus?

Atque Vestae quoque, quam in Cacae locum subiisse supra suspicatus sum, cum fulgure necessitudinem quandam intercessisse inde potissimum elucet, quod Lauinii alteram ex uirginibus duabus Vestalibus in fano Penatium dormientibus ob castitatem uiolatam fulmine ictam esse ferunt. Conferantur Seruius ad Aeneid. III, 12, VII, 150, Preller Röm. mythol. p. 537.

Quamquam autem dubitari non potest, quin iam antiquissimo tempore et apud Italos et apud Graecos eius deae, quae firmo domicilio et quasi foco praefuit, cultus floruerit: negandum tamen non est, Graecos solum a foco talis deae nomen duxisse, quippe quorum in lingua appellatiua uocis ἑστία, ion. ἱστίη notio uiua remanserit. A foco enim deam, non focum a dea cognominatum esse manifestum est. Et, cum ne ipsius quidem Vâstoshpatis nomini proxime Ἑστία respondeat, Ἑστίαν inter ea numina, quae Graecae, non Indo-Germanae originis sunt, referendam esse inde quoque intellegi posse suspicor, quod in Homeri carminibus nulla eius fit mentio. Quod quidem haud satis ita uidetur explicari, ut in epico carmine Ἑστίαν, quae eius fuerit natura, locum nullum habuisse dicas. An Homero censes, cum tam accuratam totius uitae Hellenicae et publicae et priuatae imaginem exprimeret, nusquam fuisse occasionem datam, ut tanta dignitate, quanta postea Ἑστίαν uidemus, praeditae deae mentionem faceret? Nec uero tantum ego quantum Grassmann, ei rei tribuerim, quod in femina dea colenda Graeci Italique consentiant. Nam cum apud I. Grimmium Deutsche mythol. p. 578 inueniamus, in Scotia olim Sanctam Brigidam plane eodem modo, quo in Latio Vestam, igne sempiterno circumsaepto, ad quem uiros appropinquare fas non esset, cultam esse; id haud scio an eundem feminae deae cultum ne Celtis quidem olim defuisse coarguere uideatur. At ne illud quidem praetermittendum uidetur, in aedibus nostratium rusticis, quas Graecorum et Romanorum aedibus simillimas constructas esse Kuhn demonstrauit (Ztschr. f. vgl. sprachf. V, p. 464), focum, cum media pars et quasi umbilicus aedium sit, hodie quoque mira quadam sanctitate coli, quippe cuius lucerna semper uiua nisi patrefamilias mortuo numquam exstinguatur; Penates autem et Lares cum Vestae cultu arcte coniunctos, quorum simile Graeci in Ἑστίᾳ colenda nihil habebant,

iis geniis domesticis, quos nostrates „*Kobolde*“ uel „*Heinzelmännchen*“ nominant, accuratissime respondere. Cf. Preller Röm. mythol. p. 534. Illud autem, quod *Ἑστία* et Vesta uel inde ab ultima aetate in Graecorum et Italorum cultu floruerunt ac postea quoque in tanto semper honore fuerunt, mihi quidem inde satis uidetur explanari, quod hi populi maturius quam ceteri firmarum sedium commoda cognouerunt.

Iam de uedico Vâstoshpati quid sentiam, paucis exponam. Quem Kuhn in Hauptii Zeitschr. VI. p. 128 Graecorum *Ἑρμῇ προπυλαίῳ* confert eam ob causam, quod Ṛgv. IV, 17 Sârameya Vâstoshpatis cognominetur. Quam quidem comparationem ego non reprehenderim: illud unum, quod supra commemoraui, in memoriam placet reuocare, Sârameyis in Italia Lares illos geminos praestites respondere. Vnde efficitur, ut Vâstoshpatis Indicus, ut ita dicam, Lar praestes sit habendus.

Venio nunc ad alteram commentationis partem, in qua qualis inter Italos septemtrionalesque Indo-Germanae stirpis populos, imprimis Germanos, religionis communitas intercedat, considerare propositum est. Cuius generis nonnulla fieri non potuit quin iam supra tangerentur; reliquum autem est, ut ea persequamur, quae arctioris illorum populorum coniunctionis uideantur esse testimonia uel quibus certe talem statui cognationem non minore iure posse demonstretur quam Italo-Graecam. Atque alia quidem afferemus manifesta et iam pridem doctorum uirorum sententiis comprobata; noua alia, quae, quod nos sciamus, auctore adhuc carent, utrum certis fundamentis nitantur necne, iis ipsis, penes quos harum rerum iudicium est, diiudicandum propono.

In Italorum quoque et Celtarum Germanorumque religionibus reperiri nonnulla et deorum et rerum earum,

quae ad sacra pertinent, nomina, quae alter populus ab altero sit mutuatus, uix quisquam negabit. Neque dubium esse potest, uter populus ex alterius thesauro mythologico hauserit. Nec tamen mutuationes illae, cum perpaucae essent et leuissimi momenti, ad commutandam Germanicae religionis naturam uim ullam habuerunt.

Inter religiones Graecorum et Italorum uir doctissimus L. Preller hoc maxime interesse censet, quod Italica religio a simplicitate imaginum illarum, quas in contemplanda rerum naturae excelsitate et magnificentia Indo-Germani mente conceperint, non tam longe quam Graeca recesserit. Quam Prelleri sententiam A. Preuner (*Hestia-Vesta* p. 368) uituperat: non enim oportere mythologum Graecarum artium et litterarum splendore occaecatum nihil curare, quantum Romani progressum fecerint in eo, quod ethicis praecipue religionis praeceptis ponderis tantum attulerint. Sed quamquam Itali religionem ad institutiones rei publicae et communis uitae rettulerunt, tamen perpauca ex naturali illa deorum ui in eorum religione remansisse uix ita multi Preunero auctore dicere ausint. Itali uidelicet nullam aliam ob causam, quam quod diuino numine et rerum naturam et humanam uitam gubernari semper sibi erant conscii, deos pie sancte casteque colebant; unde contigit iis, ut naturalia mythorum argumenta cum praeceptis bene honesteque uiuendi facile conciliarent. Sed in Graecia, ubi paullatim deos quasi undique expletas et perfectas naturae humanae formas exstitisse uidemus, luxurians, ut ita dicam, planta mythologiae adeo inualuit, ut florem modestum religionis cultusque deorum paene opprimeret.

Quae unoquoque mytho Italico naturalis medulla contineatur, is facile enucleabit, qui notiones deorum nominibus subiectas, quae dilucidae plerumque sunt raroque magnas difficultates praebent, etymologica ratione assequi conabitur. Docemur autem etymologia Italorum antiquis-

simorum religionem eiusmodi praecipue diis deabusque abundasse, qui et fertilitati agrorum et simplicissimis hominum rusticorum occupationibus praeessent quosque ipsa denique uita rustica tamquam desiderare uideretur. Quod uero multi illorum deorum agrestium, ut Saturnus Mars Picus alii, in Italica religione urbium ciuitatumque conditores exstiterunt, ad quos publicarum institutionum principia referebantur, recte quidem in eo cernas ingenium Italorum proprium. Minime tamen, ut Preunero placet ibid. p. 392, eae fabulae, quae de diuina ciuitatum origine sunt, a naturalibus mythis seiungendae et contrariae iis sunt habendae. Immo potius naturale antiquissimi cuiusque mythi argumentum prius, cetera omnia posteriora putanda sunt. Omnino autem, si qui populus firmas sedes nactus agriculturae studere agrestesque deos colere coepit, eum facile deorum uim ac potentiam ita amplificare, ut omnia iis cultioris hominum uitae principia tribuat, testis esse potest Scandinauorum mythologia, in qua *Thôr* deus, cuius uis ad tonitrua et tempestates fecunditatem naturae efficientes pertinebat, idem legum iurisque ciuilis auctor fuit; quippe cuius malleo (i. e. fulgure) quaestus alicuius rei et pactiones nuptiales consecrarentur. Cf. *Thrymskvidha* 30, *Simrock, Handbuch der deutschen mythologie* p. 253: „*Als gott der ehe, die sein hammer weiht, legt Thôr den grund zu einem sittlich geordneten leben; als gott des eigentums, das sein hammerwurf begrenzen und feststellen hilft, entwickelt er den staat aus der familie*" *).

---

*) Liceat hoc loco uestutissimae illius Romanorum rationis nuptiarum conciliandarum facere mentionem, quae confarreatio appellabatur. Quam et ipsam cum farre fierent nuptiae atque per Pontificem Maximum et Dialem Flaminem, per fruges et molam salsam coniungerentur, in id tempus recedere necesse est, quo Latini in agris colendis aetatem agerent. Iam cum Flaminem Dialem

Nonnulli ex principibus Germanorum diis, cum ita essent exorti, ut, quae uires in natura rerum conspicuae hominum animos reuerentia imbuebant, eae humana specie indutae diuino honore afficerentur et colerentur, similiter atque dii Italici ad hanc significationem peruenerunt, ut fecunditati terrae et rei agrariae praeessent; id quod in comparandis utriusque populi religionibus non leuissimi uidetur esse momenti. Quo in genere unum placet uel illustrissimum afferre exemplum.

Vitalem uniuersae naturae uim Indi a Sole deo duci arbitrati *Savitar* solem appellauerunt, „quod nomen", ut O. Meyeri uiri doctissimi mihique amicissimi uerbis utar (Quaest. Homeric. Bonnae 1868 p. 8), „nihil aliud describere uolt, quam facultatem dei omnia animalia procreandi, procreatis uigorem addendi, atque homines salute et felicitate afficiendi in rebus, quae ad agriculturam atque ad uictum cibosque comparandos pertinent." Huic Latinorum deum Saturnum respondere atque utriusque nominis originem a radice „*su*" repetendam esse et idem Meyer et Schweizer in Kuhnii Zeitschr. IV, p. 68 intellexerunt. Videmus igitur Savitar-Saturni uim, cum latius olim pateret, apud Italos angustioribus finibus circumscriptam esse. Saturnum enim Romanus quidem homo sine dubio aliud nullum numen umquam interpretatus est, nisi quod sationibus et agriculturae praeesset, uel cui, ut ait Macrobius in Sat. I, 7, 24, insertiones surculorum pomorumque educationes et omnium huiuscemodi fertilium tribuerentur disciplinae.

Iouis uice in illis caerimoniis functum esse manifestum sit, quis est, qui non Thôri dei malleo foedera nuptialia consecrantis recordetur? Thôro deinde mallei ictu fines constituenti optime Iuppiter Terminus Romanorum comparari potest. Ceterum conferatur de confarreatione Seruius ad. Verg. Georgic. I, 31; Preller Röm. mythol. p. 115, 124; de Ioue Termino Preller Röm. mythol. p. 227 sqq.

Quamquam in nostra mythologia Saturno deo quem proximum opponamus deus est nullus, tamen, quae eius uxor appellatur, Opem Consiuiam Scandinauicae deae *Sîf* plane comparem esse arbitror. Cf. O. Meyer Quaest. Homer. p. 9. Et Opis quidem Consiuiae nomen dubitationem mouere non potest. Significat enim Ops, ut Preller Röm. mythol. p. 409 satis uidetur docuisse, terram opibus abundantem. Non aliter nostrates uoce uti solent: *„die gütige mutter erde"*; non aliter Ṛgv. I, 127, 6 *urvarâ apnasvatî*, i. e. aruum opulentum dicitur. Sub Consiuia autem cognomine illo Opis deae eandem quam sub uoce Saturni radicem *„su"* latere satis manifestum est.

De *Sîf* dea, quae Thôri in Eddicis carminibus uxor uocatur, non omnes idem sentiunt. Nam A. Kuhn (Ztschr. V, p. 214) huius deae in uedico adiectiuo *„sabhya"*, quod Agni deo attribuitur — significat autem: „tribui uel genti deditum" —, uestigia se inuenisse ratus cum Graeco *Ἡφαίστῳ* (= *Sâbheyishṭha*) deam *Sîf* comparat. Vim igitur eius in igne ponit, cum feminam deam, quae deo fulminis ignisque fulminei uxor addita sit, eas ignis partes suscipere interpretetur, quae in focis firmisque domiciliis condendis atque in serenda familia cernantur: esse enim uocem *Sîf* non solum eandem quam uedicum *sabhyâ*, uerum etiam quam goth. *sibja*, germanic. uetus *sippja* (*sippea sippa*), nostrum *sippe*. Equidem, quibus de causis hanc Kuhnii etymologiam ueram esse persuadere mihi nequeam, exponam. Primum, si Kuhnii interpretationi fidem haberemus, quid sibi uellet singularis ille et unicus qui de hac dea in Edda mythus perhibetur, qui est de tonso Sifiae capillo (cf. Dämisaga 61), nullo prorsus modo intellegere possemus. Sin autem *Sîf* terrae dea est, cuius uis in agrorum et camporum fertilitate procreanda cernitur, comae eius flauas segetes agrorum camporumque undantes significant, quae in summo aestatis ardore — per Lokim — demetiuntur, tum uero a daemonibus terrenis absconditis

(*Svârtalfar*) tamquam ornatus quidam aureus denuo texuntur. Deinde propterea quoque prohibeor, quominus *Sîf* inter ignis numina ducam, quod uerus et germanus ignei elementi uicarius *Loki* non irducitur nisi inimicissimus atque infestissimus Sifiae deae et Thôro marito. Longe propius, quam Kuhn, Simrock in explicando Sifiae nomine et natura ad uerum accedit, Handbuch der deutschen mythol. p. 396 sqq. Qui, cum ipse Grimm, auctor illius quam Kuhn probauit etymologiae, recte se *Sîf* deam sibjam interpretatum esse desperauerit, eam commendat interpretationem, ut a uerbo germanico uetere „*sîfu seif sifun sifan*", quod Grimm in Hauptii Ztschr. VII, p. 460 posuit et cui notio subiecta est stillandi, nomen deae Scandinauicae deriuet. Sic enim et cur ad imbres spectet uetus illud, quod sit in ore uolgi: „*Marien Sîf regiert dat wîf*", et cur messis euentus in Sifiae manu sit positus, quam maxime apertum fieri ad intellegendum.

Atque haec quidem Sifiae interpretatio re ipsa non multum ab Vhlandio distat (cf. Vhland Mythus von Thôr p. 75 sqq.); quamquam Simrockio nimis contorte Vhland uidetur nomen proprium *Sîf* et appellatiuam uocem *sippe* inter se conciliare conatus esse. Perbene autem Vhlandium puto rationem illam explicasse, quae et cum terrae dea *Jördh*, matre Thôri Sifiaeque socru, et cum *Loki* daemonibusque pumilis, qui uocantur *Svârtalfar*, ipsi Sifiae intercedat; ibid. p. 76, 77.

Natura igitur *Sîf* deam et Opem Consiuiam, si Vhlandium et Simrockium sequimur, quam maxime possint inter se similes esse uidemus; in nominibus comparandis difficultatem nonnullam praebet litera consonans *f* in nomine deae Scandinauicae, cuius loco spirantem *v* exspectes. Sed haec difficultas non est tanta, ut superari nequeat. Equidem enim, quemadmodum e radice indog. „*spu*" (cf. lat. *spŭere*) in lingua Gothica uerbum „*speiva spaiv spivum spivans*" formatum est, sic a „*su*" „*seiva saiv sivum sivans*"

fieri potuisse persuasum habeo. Neque enim ullo modo antiquam alteram radicis formam in *iv* desinentem statuere dubito; cum negare nemo possit linguas Indo-Germanas haud raro per uices uti formis radicum in *u* et in *iv* desinentibus. Qui fit, ut non solum goth. *speivan,* sed etiam sanscrit. *shṭîv* latino *spuere* respondeat (cf. Fick wörterb. d. indog. grundspr. p. 194); neque minus, ut uoces sanscrit. *çiva* et *çeva* a radice *çu,* uox latina *rîuus* a *sru* deriuandae sint. Hunc quoque in modum optime, ut mihi quidem uidetur, ea dubitatio tollitur, quam de O. Meyeri nominis Consiuae siue Consiuiae interpretatione nuper Corssen protulit in eo libro, qui est „*Ueber aussprache, vocalismus etc. d. lat. spr.*" edit. alt. p. 418 adnot. Qui uir doctissimus, si dea illa a radice *su* nominis originem repeteret, formam potius „*Consuua*" nobis expectandam esse contendit.

Iam si ex eadem radice *siv* et suffixo *ja* nomen proprium deae formare uolebant Germani, hoc non potuit non esse *Sivia.* Quemadmodum autem fieri possit, ut pro forma *Sivia* lingua norroena *Sifiam* praebeat, id, ni fallor, ab ipsis uiris doctis Simrockio et Grimmio quasi nutu quodam significatum est. Nam cum Simrock Sifiae nomen e regionibus Rhenanis inferioribus septemtrionem uersus migrasse suspicetur, *Sîf* in lingua Scandinauorum semper tamquam uocabulum quoddam peregrinum permansisse censendum est. Huc cum accedat, quod in sermone Francico uel sexti et septimi saeculi spirantem literam *v* idem quod Gothicum et Latinum *v* ualuisse a Grimmio docemur (Kuhn Zeitschr. I, p. 430), iam facilius intellegitur, quomodo *v* illud et apud ipsos Francos in *b* et in sermone Scandinauorum in *f* transire potuerit. Neque enim maiore cum periculo Siviam in Sibiam mutatam esse credideris, quam Hildenibia, ut Grimmio uidetur, ex Hildenivia, Adalnibia ex Adalnivia facta est.

Aliud huiusmodi exemplum nomen *Sigurdhr* est, quod

et ipsum, cum e continentalium Germanorum lingua a Scandinauis assumptum neque ex communi utriusque populi fonte manauerit, sonis parum accurate Germanico Sigfrido respondet; id quod optime Grimmium puto pronuntiasse hisce uerbis: *„wäre der name* (Sigfridi scilicet) *im norden alteinheimisch gewesen, warum gälte nicht Sigfridhr? ein deutliches zeichen, daß beim übergang der sage kein volles verständnis dieser namensform waltete.“* Cf. Hauptii Zeitschr. I, p. 4.

Verbum uero illud *„seivan“*, quod supra posuimus, et sonis et notione quam proxime ad Indicum *„su savâmi“* uel *„su sunômi“*, ad Graecum ὕειν accedere quis est quin uideat? (Cf. G. Curtii Grundzüge d. griech. etymol. p. 353; et Pottium in Kuhnii Zeitschr. VI, p. 365 adnot., qui radicis illius, quae gignendi et somam exprimendi et pluendi notiones in se conciliet, sensum primitiuum fuisse putat: „emittere humorem“.

Quodsi iam nomen deae *Sîf*, si pro ea Siviam substituere licuerit, et in radice et in suffixo — genitiuus enim singularis Scandinauici nominis est *Sîfia-r* — quam accuratissime cum Consiuia congruere uidemus, quid obstat, quin hanc deam Italo-Germanam fuisse arbitremur? Haec sane non minorem Italo-Germanae aetati fidem afferre uidetur, quam Italo-Graecae Ἑστία-Vesta; si quidem parumper Vestam ab omni tempore inter Italorum deos fuisse concesserimus. Iam et ipsa Slauorum gens, cum *Siwam* coleret, quam Cererem deam frumenti ueteres glossae interpretantur (cf. Grimmii Deutsche mythol. p. 286), deam illam cum Italis et Germanis olim communicauit. Neque enim amplius, si uera sunt, quae modo exposuimus, spirantem *w*, quae in Siwae nomine occurrit, a consona litera *f*, quam Germanicae deae nomen praebet, nimis longe, ut Grimmio uidebatur, distare putandum est. Ex quo efficitur eiusmodi deam coniunctorum olim Italo-Germano-Slauorum fuisse propriam; nisi forte Sifiae nomen

(id quod saepius inter hos populos occurrit) e religione Germanorum ad Slauos transisse censemus. Cf. de Siwa dea Slauorum Schwenck mythol. der Slawen p. 215 sqq.

Postquam pluribus uerbis in consideranda eius deae natura, cuius non uniuersi olim Indo-Germani, sed Itali soli et Germani (ut de Slauis nihil dicamus) erant participes, commorati sumus, iam ad communitatem eorum mythorum, qui ad summum deum naturalem eiusque comites pertinent, animum aduertamus. Huc autem refero ex Indorum mythologia Indram et Marutes, Martem Semonesque et Lares ex Italica, e nostra Wuotanum eiusque agmen, inprimis Einherios quos uocant. Quorum mythorum similitudines priusquam mente animoque perlustrare incipiam, quales illos, quos comites Indrae Martis Wuotani nominaui, esse definiendos censeam, explicandum est ante breuiter. Facere autem non possum, quin hac quoque in re Kuhnium maxime omnium doctorum uirorum sequar auctorem, quem de huiuscemodi rebus docte multa ac diserte constat disputasse et quo haud scio an nullum inueneris maiore in explanandis fabulis ingenii acumine et subtilitate praeditum. Sed etymologica illa, quam Kuhn proposuit (Ztschr. IV, p. 116, Hauptii Ztschr. V, p. 488), uocis Indicae „*Marut*" deriuatio (in quorum deorum natura explicanda id totum uertitur, quod nunc quaerimus) ab aliis saepe uiris doctis in dubitationem uocata est. Nam Grassmann in Kuhnii Zeitschr. XVI, p. 162 sqq., repudiata illa nominis Marutum a radice „*mar mori*" deriuatione, ab ea radice uocis illius originem uolt repeti, quae in Graeco uerbo μαρμαίρω apparet. Quam deriuationem etiam Boehtlingk et Roth in lexico Petropolitano s. u. „*marut*" uidentur probare. Equidem quamquam profiteor me dubitare, utrius ego potius in hac re sententiam sequar, tamen reputare uelim eos, qui a Kuhnio dissentiunt, non minimam partem ea re illius etymologiam fulciri, quod nonnullis Rigvedae locis Marutes deos mortales

antea fuisse uel planissimis uerbis exprimitur; id quod suo iure Kuhn ad confirmandam suam sententiam afferre non omisit. Verum licet de nomine Marutum quam diuersissima et quam maxime distantia uiri docti cogitent: in ipsa quidem re Kuhnium uerum uidisse eam ob causam mihi persuasum est, quod comparatis ceterarum gentium Indo-Germanarum mythis satis manifestum fit mortuorum animos hominum bonorum, cum immortales sint, daemones exsistere et comites sociosque deorum in deuincendis improbis tenebrarum daemonibus. Illorum animos diuina specie post hanc uitam ornatos uirium in natura rerum conspicuarum, ut procellarum tempestatumque, uices suscipere posse idem ille uir doctus satis mihi uidetur ostendisse Zeitschr. IV, 121. Tales sunt apud Indos non solum *pitaras* et *spaças* Varuṇae, sed etiam *Marutas* et *Ṛibhavas*; tales apud nos *Einheriar,* qui furibundo Wuotani agmini aggregantur et cum Wuotano, sicut *pitaras* cum Yama et Varuṇa regibus (cf. Ṛgv. X, 14, 10 etc.), sempiterna beatitudine fruuntur; tales denique Hesiodus uoluit describere in eo poemate, quod Ἔργα καὶ ἡμέραι inscribitur, cum haec de χρυσῷ ἀνθρώπων γένει dicit uersibus 121—126:

> *Αὐτὰρ ἐπειδὴ τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψεν,*
> *τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς*
> *ἐσθλοί, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων·*
> *οἵ ῥα φυλάσσουσίν τε δικὰς καὶ σχέτλια ἔργα,*
> *ἠέρα ἑσσάμενοι πάντῃ φοιτῶντες ἐπ' αἶαν,*
> *πλουτοδόται· καὶ τοῦτο γέρας βασιλήϊον ἔσχον.*

Nam ne Graecis quidem, quamquam apud eos omnia illa, quae de futura animorum uita excelse et magnifice Indo-Germani senserant, mature obscurata sint ac prorsus paene euanuerint, Hesiodi temporibus augustissimas illas et amplissimas imagines defuisse R. Roth uir clarissimus docuit in praestantissimo eo libello, qui est: „*Ueber*

den mythus der fünf menschengeschlechter bei Hesiod" Tubingae 1860.

Quibus expositis illud reliquum est, ut qui factum sit, ut in Italia in multorum Marutum locum unus Mars successerit, explicem. Martem in religionibus Italorum Indrae potissimum partes suscipere, cum uterque ueris deus sit hiemis asperitatem fugans ac propellens, ex egregia eiusdem Kuhnii disputatione elucet, quae scripta est in Hauptii Zeitschr. V, p. 472 sqq. Ibidem cum inuenias Indram nonnumquam *Mârutam* siue *Marutâm pitaram* in hymnis Ṛigvedae cognominari, nescio an hac ratione cum Indra et Mars tum Mars et Marutes dii bene inter se concilientur. Est enim Mars idem qui *Mârutas*, Marspiter qui *Marutâm pitâ*, omniaque ea, quibus in India multorum Marutum natura contineri uidebatur, in unum Martem apud Italos coaceruata sunt.

Iam ne praetermittam, qua re uel maxime Marutum Martisque comparatio fulciri mihi uideatur, Vmbricum illum *Çerfum Martium* in memoriam iis, qui hunc libellum legent, reuocare uelim; quod numen in Vmbrorum mythologia Corssen (Kuhnii Zeitschr. II, p. 34) cum Martis cultu arcte coniunctum illoque deo inferius fuisse censet. Quid igitur? quod Grassmann non minore quam in ceteris rebus subtilitate usus docuit latere sub Çerfo Martio illud *çardho mârutam,* cuius saepissime in hymnis uedicis fit mentio? (Kuhnii Zeitschr. XVI, p. 190.) Vox illa *çardho mârutam* abstracta est nec non collectiua neque aliud quidquam significat nisi ipsos Marutes, sicut a clarissimo poeta nostratium usurpatur: „*kaiser Rudolfs heilige macht.*" Neque equidem dubito, quin uetus illa consuetudo Marutes uniuersos uno collectiuo et in forma numeri singularis usitato nomine complectendi non minima causa fuerit, cur in Italorum religione Marutum multorum naturam unus Mars susceperit; praesertim cum apud Indos quoque maiores nonnulli dii inueniantur, qui principes

Marutum esse eorumque agmina ducere uideantur. In quibus Indram et Rudram potissimum commemoro, quorum alterius fratres uocantur Marutes Ṛgv. I, 170, 2, alter Rudra genuisse eos ut filios praedicatur Ṛgv. II, 34, 2. VI, 50, 4. Formae uero nominis illius Vmbrici Çerfi accuratius quam *çardhas,* quod generis neutrius est, uox masculina *çardha* respondet; et haec quidem ad literam, cum in Oscorum et Vmbrorum linguis Indo-Germanam aspiratam *dh* uel in mediis uerbis, ubi Latinus sermo *d* plerumque praebet, in *f* spirantem mutari constat. Quo in genere conferantur sanscrit. et indog. *madhya,* lat. *medio-,* umbr. et osc. *mefio-.* Sensu autem et ui masculinum *çardha* haud ita multum a neutro *çardhas* abfuisse intellegemus, si diligentius paullo locos nonnullos considerauerimus, ubi *çardha* legitur. Ac primum quidem occurrit Ṛgv. V, 87, 1:

> *prá vo mahé matáyo yantu vishṇave marútvate*
> *girijā́ evayā́marut*
> *prá çárdhâya práyajyave sukhâdáye taváse bhandádishṭaye dhúnivratâya çávase.*

Ordiantur uestra magno carmina Vishṇui*) a Marutibus circumdato in montibus oriunda, euoe Marut! Ordiantur cateruae turbulentae iucunda praebenti, ualidae cum laetitia festinanti natura sua (res) conquassanti potentiae.

Eundem uersum legis Sâmav. I, 5, 3, 2, 6, quem Benfey a nostra interpretatione paullulum discrepans ita uertit:

---

*) *Vishṇu* antiquiore tempore Indrae cognomen fuit, notione autem Wuotanum prope attingit, cum significet deum penetrantem siue permeantem omnia. Cf. Ṛgv. III. 61, 7 et Bréal Hercule et Cacus p. 91 adnot (1): *„Plus tard cet altrihut d'Indra est devenu un dieu distinct."*

Zum großen Vishṇu, dem marutumgebenen, steig euer felsgezeugter sang, sturmvoll Marut!
Zum mächtigen auf, dem opferer, schönverzehrendem; zum starken, opferschmückenden, der sturmbewirkenden Gewalt.“

Ṛgv. VIII, 82, 16 autem scriptum est:

*çrutám vo vṛitrahántamam prá çárdham carshaṇînā́m ā́ çishe**) *rā́dhase mahé.*

Inclutum uestrum, Vritram (uel in uniuersum: hostes) quam maxime caedentem, fortem alacrium (Indram scilicet) adoro ad (impetrandam) prosperitatem magnam.

Duos praeter hos Ṛigvedae locos notaui, ubi masculinum *çardha* inueni, quorum alter est Ṛgv. I, 64, 1:

vṛíshṇe çárdhâya súmakhâya vedháse nódhaḥ suvṛiktím prá bharâ marúdbhyaḥ

Semen (sicut taurus) spargenti forti alacerrimo ordinatori, o Nodhas, bene ornatum (carmen) profer Marutibus!

Alter uersus legitur Ṛgv. VI, 66, 11:

tám vṛidhántam mā́rutam bhrā́jadṛishtiṃ rudrásya sûnúṃ havasā́ vivâse
diváḥ çárdhâya çúcayo manîshā́ giráyo nā́pa ugrā́ aspṛidhran

quem liberius paullo et solutius quaeso liceat ita in Latinum conuertere:

Illum augentem Martium fulgenti hasta armatum Rudrae filium inuocatione mea ornaui; caeli Çerfo purae

---

*) Sic legendem uidetur e coniectura Benfeyi pro lectionibus Ṛigvedae: *â' çushe*, Sâmavedae: *âçíshe*. Cf. Benfey in Glossario Ṡâmavedae s. u. *âçís*.



meditationes montanarum aquarum ingentium instar (cf. Boehtlingk-Roth s. u. *girí*) inter se certauerunt.

Quibus uersibus allatis haec adicienda uidentur. Primum id notandum est, quod omnes illi loci ex eiusmodi carminibus ducti sunt quae aut in ipsorum Marutum aut talium saltem deorum laudem sunt conscripta, quales non longe a Marutum ui abesse scimus. Nam uersu illo, quem secundo loco attuli, quo Indra laudatur, hunc deum ita inuocari, ut cum Marutibus arcte coniunctus intellegatur, illo, quod additur: „*vo—carshaṇînâm*“ demonstrari uidetur; quibus uerbis Marutes, quippe quorum Indra princeps et „*vṛitrahantamas*“ sit, significari patet ex Ṛgv. I, 86, 6. Cf. Boehtlingkii-Rothii lexicon s. u. *carshaṇi.* Deinde ne illud quidem neglegemus, quod uocem *çardha* modo „fortem“ modo „fortitudinem“ uel „cateruam fortem“ interpretari licet; quae uariae notiones in duos ex illis quos supra attulimus locis (Ṛgv. V, 87, 1 et I, 64, 1) aeque apte uidentur quadrare. Ex quo efficitur, ut *çardha*, cum non usurpetur nisi de Marutibus, aut summam Marutum significat aut eum deum, in quo summa illorum posita uideatur, qualis Ṛgv. V, 87, 1 *Vishṇu marutvant*, Ṛgv. VIII, 82, 16 Indra, aliis locis Rudra est.*)

Ita cum demonstrauerim, qua ratione ex multorum Marutum natura unus deus concreuerit, quem cum Indrae ui proxime congruere mirum non est, iam facilius est ad intellegendum, cur Mars cum Marutibus nomen, naturam cum Indra communicet; praesertim cum illud ipsum nomen, quod ad hanc rem efficiendam multum ualuisse intelleximus, Vmbrica religio in Çerfo Martio seruauerit.

---

*) Sunt qui putent uocibus *çardhas* et *çardha* cum Gothico *hairdja* fem., nostro *herde* cognationem intercedere. Mihi quidem nostrum potius *held* masc., Germanicum uet. *halit helit*, Saxonic. *helid* huc uidetur pertinere. Fèmininae autem uocis *Hildr*, quod Valkyriae nomen est, mentionem faciendi infra occasio dabitur.

Sed ne longius, quam opus est, a re proposita oratio aberret, iam ad Germanos reuertamur, ut, quae numina in illorum mythologia Marutum Martisque partes suscipiant quantaque sit in hac quoque re Italorum Germanorumque cognatio, uideamus.

Atque apud Germanos quidem plures Marutes non per unum, qui summus eorum et princeps uidebatur, esse submotos, ex illorum daemonum nomine, quos *Mahren* uel *Mahrten* patria lingua nominamus, satis apparet. Quibus *Marutas* aeque respondere atque *Ribhavas*, a Marutum natura non multum alieni, respondent iis geniis, quos Germani *Alben* siue *Elfen*, Scandinaui *Alfar* appellant, Kuhn in Hauptii Zeitschr. V, p. 490 demonstrauit. Hac igitur in re Germanos ab Indorum et haud scio an Indo-Germanorum religione non tam longe, quam Romanos recedere uidemus. Verum tamen idem, quem modo auctorem laudaui, A. Kuhn antiquiore tempore Wuotano Germanorum deo, qui Indrae compar sit, eiusmodi nomina imposita fuisse arbitratur, quae Martis nomini essent simillima. Dicit enim in Hauptii Zeitschr. V, p. 493 adnot. ** haec: „*Selbst im namen scheint in älterer zeit berührung* (inter Martem scilicet et Wuotanum) *dagewesen zu sein: man denke an den wilden jäger junker Marten und daran, daß das erntefest in vielen gegenden Norddeutschlands am Martinsabend gefeiert wird. Auch das Martins- oder Mertisvöglein, das zum Venusberg führt, wird hierher gehören.*“ Huic enim aui, qui Martini dicitur, picum Martium respondere uir ille doctus significat.

Restat, ut, cum Martem Indrae uices tueri constet, quâ maioris Marutum numeri in religione Italorum uestigia indaganda nobis sint, exponam.

Animos hominum bonorum mortuorum, qui daemones exsistant diisque aggregentur et munera diuina subeant, in Indorum mythologia modo *Marutas* et *Ribhavas* modo *pitaras* eosdemque Varuṇae Mitraeque *spaças* nominari

iam supra commemorauimus. Quae duo genera, ut paucis dicam, ita inter se differre uidentur, ut *pitaras* siue *spaças* in eiusmodi rebus, quae ad ethicam hominum uitam spectent, diuinam maiestatem ac potestatem nanciscantur diuinarumque operarum fiant participes; Marutum Ribhavumque diuinitas in eo cernatur, quod deos lucidos in profligandis daemonibus tenebrosis adiuuent, terrae et agrorum ubertatem excitent atque omnino in natura rerum uim suam diuinam ostendant. Quapropter illi — *pitaras* dico — ad Varuṇae et Yamae societatem perueniunt, quibus ita officia praestant, ut hominum actiones et bonas et improbas custodiant, perpetuo de coelo ad terram commeent, prospero successu hominum erga deos piorum res fortunent. Cf. Ṛgv. X, 10, 8; 14, 10; VII, 61, 3; Athv. IV, 16, 4.

Huiusmodi imagines excelsas gens Zendica quam maxime potuit puras et sinceras seruauit atque excoluit; id quod mirum non uidebitur, si memineris fidem ac disciplinam Zoroastricam id potissimum egisse, ut naturalibus cogitationibus et imaginibus quam maxime abiectis ethica solum mythorum argumenta retineret. Quare non iniuste huc traxerim eos, quos libri Zendici modo *çpaçô mithrahê mithrôdrujem hiçpôçemna* (cf. Yasht Mithra 10) modo *fravashayô* nominant, qui cum uedicis Varuṇae speculatoribus et Patribus plane congruunt, a naturali Marutum ui longius absunt. — Graecos autem hac quoque in re maxime ad orientalium populorum Indo-Germanorum religiones se applicare arbitror, quod apud eos et ipsos usque ad Hesiodi quidem tempora illa, quae de Patribus et speculatoribus Mitrae Varuṇaeque Indi, Eranii de Fravashibus sentiebant, licet inuenire; alia illa, quae ad eam uim animorum hominum defunctorum pertinent, quam in rerum natura cernas, omnino desunt. Ceterum cum hoc loco non possim, quin iterum ad egregiam illam Rothii in hoc genere commentationem: „*Ueber den mythus der fünf menschengeschlechter bei Hesiod*“ lectores reuocem, illud unum

adiciam, nonnulla, quae apud Hesiodum de hominibus aureae aetatis scripta sunt, prorsus plane eadem esse, atque quae de deorum custodibus Ṛigveda praedicat. Huc spectat, quod, quemadmodum Ṛgv. X, 10, 8 de speculatoribus dicitur: *ihá yé cáranti,* sic Hesiodus praebet v. 125:

πάντῃ φοιτῶντες ἐπ' αἶαν,

dein quod utrique populo animis defunctorum iuris et facinorum improborum custodia et rerum secundarum cura mandari uisa est. Conferas etiam Hesiodi illud in uersu 126: *πλουτοδόται* et Ṛgv. X, 15, 7:

rayiṃ dhatta dâçúshe mártyâya.

Itali et Germani, ut iam ad eos oratio reuertatur, ea maxime re a ceteris illis, de quibus antea disputaui populis, uidentur dissidere, quod duplicem illam animorum diuinorum uim ac naturam discernere utrique nequeunt; quippe apud quos, quid inter uaria illa munera diuina, et quae in gubernanda atque custodienda hominum uita uersentur et quae in rebus naturalibus cernantur, interfuerit, uel quibus geniis haec, quibus illa munera tribuenda sint, diiudicare uix possimus.

Referendi sunt autem huc e religione Italorum illi, qui *Manes Genii Lares Semones* nominantur, e Germanorum, quos *Einheriar* et *Alfar* Scandinaui, *Alben* uel *Mahren* Wuotanique *agmen furibundum* continentales appellant. Quorum quatenus pateat uis naturalis, quatenus ethica, haud facile quisquam dixerit. Nam tametsi Manes ipso nomine quasi boni uel benigni hominum dii custodes esse significantur, Geniis *fravashayô* illae Zendicae multis in rebus respondent; tamen Lares, quos a Manibns et Geniis separare uix quisquam ausit, cum in antiquo carmine fratrum Arualium una cum Semonibus inuocentur Martisque comites esse uideantur, dii naturales terrenam agrestemque fecunditatem gignentes non possunt non haberi. Rursus autem eandem Geniis uim subesse, tamquam ipso

nomine indicatur, quod a radice *gan* (gigno) ducendum est. Quin etiam iis hymnis, quibus Indra uel Rudra Marutesque in Ṛigveda laudantur, totum illud carmen Aruale uidetur esse simillimum; est enim tamquam, ut ita dicam, hymnus quidam in Rudrae Marutumque laudem conscriptus in Latinum sermonem conuersus. Quod carmen, ut eiusmodi nonnullas similitudines tangamus, huc apponere non alienum erit:

E nos Lases iuuate
Neue luerue Marmar sins incurrere in pleoris.
Satur furere Mars limen sali, sta berber.
Semunis alternei aduocapit conctos.
E nos Marmoṛ iuuato.
Triumpe triumpe.

Primum quod a Marte petitur, ne luem sinat incurrere in populum, plane eodem modo Rudra, cuius filios Marutes esse iam supra uidimus, apud Indos (neque minus apud Graecos Ἀπόλλων) morbos grauiores et pestiferos in sua potestate habere, quos aut immitteret aut adimeret, credebatur. Idem uidelicet, qui exstingueret atque deleret deus homines resque humanas atrocitate sua, mederi morbis et opprimere eos putabatur. Ac si in calidiorum locorum caeli naturam accomodatur illud, quod in numinum uel fulmini uel tempestati procellosae praepositorum manu morbos esse sitos dicunt, nihil aliud significari re illa manifestum est, nisi fulminibus tempestatibusque aërem feruidum purgari atque ita semina morborum plurima, quam luem uocant, remoueri. Hoc agentes Indi uedici Rudrae supplicant, ut uarias pestes repellat — Ṛgv. II, 33, 2:

vy ámîvaç câtayasva vishûcîḥ

ut pestiferum telum declinet — ibid. 14:

pári ṇo hetî́ rudrásya vṛijyâḥ

ut ne laedat totam progeniem eorum, qui colunt eum — Ṛgv. VII, 46, 3:

má nas tokéshu tánayeshu rîrishaḥ —;
quocum conferatur cum illud „in pleoris“ tum precatio illa in circumagendis suouetaurilibus usitata, quam Cato in eo libro, qui est de Re rustica 141. prodidit: „Mars pater, te precor quaesoque, uti sies uolens propitius mihi domo familiaeque nostrae etc. Ac porro illud: „uti tu morbos uisos inuisosque, uiduertatem uastitudinemque calamitatem intemperiasque prohibessis defendas auerruncesque.“ Neque minus huc pertinent illa, quae saepissime commemorantur, Rudrae *bheshajâni* i. e. remedia morborum, quibus, cum idem *mîḍhvân* et *svapivâtas* „humifer“ et „suaui afflatu praeditus“ sit, luem pestilentiamque lenit et coërcet. Prorsus idem apud Graecos est *Ἀπόλλων Ἑκάεργος* (cf. Ludwig in Kuhnii Zeitschr. X, 450), qui *λοιμόν* immittit in exercitum Achiuorum eodem modo, quo *takman* qui uocatur morbus Rudrae telum dicitur, Marmar qui uocatur auerruncus (quod idem fere ualet atque *Ἑκάεργος*) luem in sua potestate habere putatur.

Ad Rudrae naturam Marutes se appropinquare iam saepius diximus. Quamobrem si quidem recte illud: „sta berber“ uiri docti: „desiste uerberare equos tuos“ interpretantur, hoc ad Marutum *açvâs* rettulerim, unde cognomen illi *prishadaçva,* i. e. „equis coloris maculosi uecti“ acceperunt. Verum tamen non minus licet de duobus Indrae equis cogitare, quibus nomen *harî* „flaui“ est. Cf. Kuhn in Hauptii Zeitschr. V, 489: *„sowol dem Indra als dem Odhin wird das weiße roß beigelegt.“*

Proprias autem Marutum partes in carmine Fratrum Arualium Lases et Semunes tuentur, qui, cum Martis comites sint, inuocantur, ut agrorum fertilitatem procreent hominesque iuuent. Triumpe triumpe uero illud, quod in fine carminis exclamatur, haud inepte conferri potest uoci illi in Marutum hymnis saepissime usurpatae: *evayâmarut!*

Germanorum mythologia *Einheriar* appellat, qui cum Odhino in Valhalla sempiterna beatitudine fruuntur (sicut

pitaras uedici cum Varuṇa et Yama regibus *sadhâmadam madanti* Ṛgv. X, 14, 10.), immortalitatis potu recreantur, pugnando et certando inter se quotidie delectantur. Quorum quidem uis naturalis apparet et in eo, quod in tempestatibus uenatorem furibundum, cuius agmen etiam nunc haud raro uolgi animos solet horrore quodam afficere, comitantur, et quod deorum pugnis contra daemones, imprimis *Fenris* lupum, sicut Marutes *vṛitrahatyae*, intersunt; ut legitur *Grimnismâl* uersus 23. a Simrockio in nostrum sermonem ita translatus:

Fünfhundert thüren und viermal zehn
wähn ich in Walhall.
Achthundert Einherier ziehn aus je einer,
wenn es dem wolf zu wehren gilt.

Iam quid ii genii, quibus nomina sunt: *Alben Matren*, significent, disputatione uix opus est: quorum de ui naturali Kuhnium satis multa disseruisse censeo. Quem uirum clarissimum ne illa quidem similitudo latuit, quae inter Maṛutes et Valkyrias, feminas, ut ita dicam, Marutes Germanicae solum religionis proprias, intercedit; quarum equi, quotiescunque se concutiunt, efficiunt, ut e iubis rores in ualles et grandines frugiferae in altas arbores destillent; non aliter atque imbres fulminaque Marutibus tribuuntur, grando *marutphala* sanscritice h. e. Marutum fructus appellatur. Cf. Kuhn in Hauptii Zeitschr. V. p. 489. Quin etiam nomina nonnulla Valkyriarum cum epithetis quibusdam Marutum radicem atque originem communes habent. Quid enim aliud significari censes nomine Valkyriae *Mist* (quod uocabulum hodie quoque in sermone Anglorum idem ualet quod Graecum *ὀμίχλη*, sanscriticum *megha*) atque quod Indico adiectiuo *mîḍhvans* significatur? An in alia ulla notione nomen *Hildr* natum uidetur esse, atque quae subiecta est sanscritico *çardha* uel *çardhas*, Vmbrorum *Çerfo?*

Valkyriae rursus et Idisae quae uocantur (cf. Simrockii Handbuch p. 378.) seiungi ab Einheriis non possunt, quos pugnantes adiuuant, interfectos in proelio ad Odhini caelum portandos eligunt, nectaris cornua potoria ministrando delectant. Cf. *Grimnismâl* 36. *Dämisaga* 36. Itaque ab hac parte non minus id, quod supra statuimus, comprobatur, in Germanorum religione aeque atque apud Italos notiones naturalem et ethicam animorum humanorum ad diuinos honores euectorum, cum a principio essent distinctae, inter se paullatim esse mixtas atque confusas.

Iam cum hactenus disputatio processerit, unum illud *Semonis Semonumque* nomen, quod saepius attigimus, diligentius paullo considerare propositum est; in quo considerando fieri non poterit, quin iterum ad summum deum naturalem non solum Italorum Germanorumque, uerum etiam Indorum et Indo-Germanorum reducamur. Cuius ego nominis, ut omittam ueterum sententias, duas potissimum deriuationes etymologicas inuenio, quarum altera est usitatior et ab Hartungo Prellero Bréalo uiris doctissimis probata. Volunt autem illi nomen Semonis ab eadem radice duci, quae sub uocabulis „sero semen semino“ latet. Cf. Hartung Religion der Römer I, p. 41 sqq.; Preller Röm. mythol. p. 80.; M. Bréal Hercule et Cacus p. 56: „*Le mot Semo s'explique de lui même: il désigne un dieu présidant à la fécondité de la nature.*“ Altera est et plane diuersa Mommsenii deriuatio, quam proposuit in Corpore Inscript. Latin. I, p. 10., cum ait: „Equidem ni fallor, quisquis supra humanam naturam est siue deus quicumque, semo est, quod et cum etymologia facile conciliatur, nam se priuatiuum et homo coniuncta uerbum efficere potuerunt, ut ex ne et homine factum est nemo, et ab illis (Martiani Capellae et Fulgentii, quos paullo ante Mommsen memorauit) explicationibus ita recedit, ut in iis ueri uestigia quaedam inesse appareat, et maxime commendatur Semonis Sanci cum Dio Fidio comparatione

et huius tabulae (h. e. Carminis Arualis) in ipsa clausula cunctorum Semonum inuocatione." Mommsen igitur uocem *Semo* antiquitus *Sehemo* sonasse et compositum fuisse arbitratur.

Quid? quod hanc interpretationis etymologicae uiam a Mommsenio demonstratam ingressi formam *Sĕhĕmon* uiuam quidem in ueteriore lingua, nec tamen compositam fuisse, sed de radice sanscritica *sah*, Indo-Germana *sagh*, quam Graecus sermo praebet in uerbo ἔχω (cf. ἔσχον pro ἔσεχον) repetendam esse contendimus? Nam spirantem *h* in linguis Italicis inter uocales duas nonnumquam prorsus euanescere nemo ignorat; quo in genere, si exemplis opus fuerit, satis erit mentionem facere et ipsius illius, quod Mommsen protulit, uocabuli „*nemo*" et Latini „*uia*", Oscici „*veia*", quod ex *vehia* ortum et ad radicem *vagh* referendum est Lituanoque *vėžė́* accurate respondet. Qua in explicatione si quis parum acquieuerit, licebit eum talem sonorem transitum sumere, ut, primitiua aspirata gutturali *gh* in mediam *g* delapsa (id quod persaepe fit in lingua Latina), ex radice *sagh* formatum sit nomen *Segmon*, quod non aliter in *Sēmon* mutatum est, atque *exagmen* in *exāmen*, *subtecmem subtegmen* in *subtēmen*. Conferas alia huius generis exempla apud Schleicherum in *Comp. d. vergl. gramm.* §. 157, I, a., apud Corssenium in *Aussprache und vocalismus d. lat. spr.* p. 634. sqq.

Iam uero nimio opere me monent Celtica et Germanica dei nomina, quae comparare Semoni uelim, quam ut licere mihi putem antea exponere, uel quo spectet uis Semonis uel qualia huius ego nominis uestigia in hymnis uedicis repperisse mihi uidear. Ac primum quidem quis est, qui quidem populorum illorum rerum mythologicarum peritus sit, cui non in mentem ueniat Mars ille Celtarum, qui (ut a Grimmio perhibetur D. myth. p. 344. adnot. †, p. 1214.) modo *Sigemon* modo *Segemon* modo *Segomon* appellabatur? Cui Marti Segomoni, si Gruteri Inscriptio-

nibus LVIII, 5. fidem habemus, in ciuitate Sequanorum sacra fiebant. Quem quidem deum haud inepte a Grimmio locis supra allatis, a Kuhnio in Hauptii Zeitschr. V, pag. 493. adnot. * * cum Germanorum heroe uel potius deo *Sigemund* comparatum esse uideo. Cum autem, qualis inter illos deos, imprimis Semonem Sancum inter et Germanorum *Sigemund*, notionum cognatio intercedat, infra consideraturi simus, primum, qua ratione nominum formae inter se conciliari posse arbitrer, exponam. Et primum quidem quin Latina et Celtica nominis formis radix *sagh* contineatur eodem suffixo *man*, quod est in *pulmōn-*, *sermōn-*, Graeco *ἡγεμόν-*, instructa, uix ullam habet dubitationem; quam terminationem modo uocali aliqua littera intercedente cum stirpe conecti, modo ad ipsam radicem adiungi satis constat. Latere autem sub Germanico dei nomine eandem quidem radicem, id haud scio an omnes facile, cum non absit nisi quam proxime uox neutra Gothorum *sigis*, nostra *sieg*, concedant; sed plerisque adhuc quasi compositum quoddam *Sigemund* esse uisus est. Verum ego, cum iam aliam uocis illius explicationem propositurus sim, impetrare a me nequeo, quin alia etiam huiusmodi uocabula, imprimis nomina propria Germanorum in *mund* terminantia uel eadem uel certe simili ratione explicanda esse credam. In permultis autem, quae huc pertinent, id genus etymologiae, quod in ore populi uersatur *(volksetymologie)*, non nihil, ut mihi quidem uidetur, ualuit. Cuius rei exemplum apud omnes peruolgatum est nostrum *leumund*, Germanic. uetus *hliumunt*, quod ad Gothic. *hliuman* eandem plane rationem habet quam *Sigimunt* siue *Sigemund* ad Lat. *Semon-*, Celtic. *Sigemon*. Litteram enim *d* (in dialecto ueteriore *t*) phonetice, ut ita dicam, nominibus nonnullis Germanicis, quorum suffixa in *n* desinunt, haud raro accrescere plerisque adhuc uiris doctis locupletissimo Boppio auctore probatum est. Cf. Boppii *Vergleichende*

grammatik edit. alt. §. 803., Schleicheri *Compendium* §. 219. Quamquam ego me ad eorum potius sententiam applicare malo, quibus, cum non tollant quidem funditus illam nominum amplificationem (cf. *niemand* et uetus *nioman nieman*), tamen plerumque terminationes illas linguae nostrae *und* et *mund* ad primitiua suffica *ant* et *mant* reuocare magis placet. In quibus Kuhnium potissimum et Schweizerum commemoro, qui, cum animaduertant, *ant* et *an*, *mant* et *man* suffixa — ut in Graeco ὀνοματ- et ὀνομαίνω pro ὀνομάνjω, in Latino *nomen* et *cognoment-um*, *unguen* et *unguent-um* — plerumque inter se esse finitimas: formas in *t* cadentes antiquiores esse uolunt, e quibus *an* et *man* per debilitationem orta sint. Cf. *Zeitschr. für vergl. sprachf.* I, p. 380; III, p. 345. Denique ne id quidem mirum esse potest, quod in nostro sermone themata nominum suffixis primitiuis *ant* et *mant* instructorum uocali littera (plerumque *a*) adiuncta amplificantur; qua ratione, ut exemplis utar, factum est, ut sanscritico *çvan*, Graeco κυν - in Germanica lingua thema *hunda*, Gothico *hliuman* thema German. uetus *hliumunta* respondeat. Nonne enim idem participia omnia praesentis in lingua Gothorum experta sunt? Nonne idem prorsus apud Indos, idem apud Latinos fieri uidemus, cum hi praeter *unguen* et *cognomen* themata formauerint *unguento-* et *cognomento-*, illorum uero lingua paene innumerabilia huius generis exempla praebeat, e quibus haec enumerare placet: *danta açmanta sîmanta hemanta vasanta?* Cf. Ebel in Kuhnii Zeitschr. IV, p. 322 sqq.; Kuhn ibid. I, p. 378. Quod autem scriptum est apud Heynium in *Kurze laut- und flexionslehre der altgerman. sprachstämme* pgg. 251 et 299: nomina propria in *mund (munt)* et *und*, ut Germanicum *Sigemund*, norroena *Sigmundr Saemundr Voelundr*, eorum sequi nominum declinationem, quae in *u* uocalem terminantur; iam ne huic quidem thematum illorum amplificationi quod comparemus,

certissimum deest exemplum. Neque enim alia inter Gothicam uocem *tunthu* et sanscrit. *dant* uel *danta* ratio intercedit atque inter *Sigimuntu* et formam illam quam posuimus Indo-Germanam *Saghamant* uel *Saghamanta*. Cf. Ebel in Kuhnii Zeitschr. IV, 323. Idem autem hic transitus nonne etiam iis statuendus erit, qui compositum esse uolent nomen proprium *Sigemund*, cuius compositi membrum alterum substantiua uoce *mund* contineatur? Nam ne huius quidem uocis thema in *u* terminatur, uerum potius aut *munda* aut *mundi* thema ponendum est, ut ex iis casuum formis, quas ex scriptoribus excerpsit Graff *(Althochd. sprachschatz)*, satis uidetur elucere. Vox autem illa norroena *mund*, germanic. uetus *munt* eadem est quae Latinorum *manus* atque eandem habet duplicem significationem; cum aut ipsam manum, membrum scilicet corporis, aut potestatem uel tutelam alicuius rei legitimam significet. Cf. J. Grimm in Hauptii Zeitschr. VII, 461, Lottner in Kuhnii Zeitschr. VII, p. 167. Itaque aut „manu uictrice instructum“ aut „praesidium uictoriae siue ad uictoriam pariendam“ nomen *Sigemund* interpretari plerumque solebant; qualem quidem interpretationem in nonnullis iis nominibus, quae in *mund* terminantur, adhibendam esse minime equidem negauerim.

Iam uero quaenam est ea nominum illorum *Semo Sigemon Sigemund* significatio, in qua nata sunt? Ac radicis quidem *sagh* sensum principalem fuisse: fortem esse, ex quo notiones sustinendi pollendi superandi facile oriantur, Aufrecht docuit in Kuhnii Zeitschr. I, p. 355. Neque dubitari potest, quin saepissime in Rigvedae carminibus de lucidis diis uictoribus eadem radix et in actiui et in medii formis usurpetur. Sic Rgv. VIII, 19, 20. Agnis, cui hoc loco Vritrae pugna tribuitur, ita inuocatur:

bhadrám mánaḥ kriṇushva vritratū́rye yénâ samátsu sâsáhaḥ

áva sthirấ tanuhi bhû́ri çárdhatâm vanémâ te abhishṭibhiḥ

Faustum animum sume in Vṛitra superando, quo in proeliis uincere consueuisti. Vires debilita multa pollentium, uincamus te adiuuante.

Marutes autem et Mâruta, quos praeter ceteros maxime fortitudine in pugnis aëriis et caelestibus excellere iam persaepe commemoraui, hunc in modum a uate uedico laudantur Ṛgv. VI, 66, 9:

prá citrám arkáṃ gṛiṇaté turấya mấrutâya svátavase bharadhvam

yé sáhâṅsi sáhasâ sáhante réjate agne pṛithivî́ makhébhyaḥ

Proferte clarum hymnum canenti ualido Mârutae suo uigore florenti; qui uires ui uincunt — tremit, o Agni, tellus —, alacribus.

Praeterea magnus adiectiuorum numerus ex radice *sah* ortus est in sermone uedico, quae enumerare longum est. Quorum plurima collegit A. Weber in Specimine Vâjasaneya-samhitae II, pgg. 129, 150. Nobis quidem duas ex illo numero uoces afferre placet: adiectiuum *sahasvant* et participium medii *sahamâna*. Nam illud quidem formae Germanicae *Sigismund*, quae idem ualet quod *Sigemund*, lucem uidetur afferre; cum utrumque, et *sahasvant* et *Sigismund*, a neutrali themate indog. *saghas* (= sanscr. *sahas* = goth. *sigis*; cf. Aufrecht l. c. adnot.) profectum sit. Quin etiam Th. Benfeyo et L. Meyero uiris doctissimis, cum nihil inter suffixa *mant* et *vant* interesse censeant, nomina *Sigismund* et *sahasvant* prorsus plane eadem esse dicere liceret.

Multo autem plus ualet ad id, quod nos consequi uolumus, participium medii *sahamâna*, quod de Indra et Rudra usurpatum inuenio. Cf. Ṛgv. X, 103, 5, ubi etiam

sahasvant et *sahojâ* (i. e. tamquam in fortitudine natus, innata fortitudine praeditus) legitur:

balavijnâyáḥ stáviraḥ práviraḥ sáhasvân vâjî́ sáhamâna ugráḥ

abhívîro abhísatvâ sahojā́ jaitram indra rátham ā́ tishṭha govit

Robore insignis, firmus, summus uir, fortis, strenuus, uictor, ingens; a uiris circumdatus, a militibus circumdatus, in fortitudine natus triumphalem, Indra, currum ascende, (qui)boum inuentor(es)!

Ṛgv. VII, 46, 1:

imā́ rudrā́ya sthirádhanvane giraḥ kshipréshave devā́ya svadhā́vne

áshâḷhâya sáhamânâya vedháse tigmā́yudâya bharatâ çrinótu naḥ

Haec Rudrae, firmo arcu armato, carmina, celeri sagitta instructo deo, qui suae potestatis est, inuicto, uictori, ordinatori, acutis armis instructo, efferte; exaudiat nos!

Ac propterea quidem maxime uox *sahamâna* huc pertinere uidetur, quod, cum ipsum *sahamant* siue *sahaman* adiectiuum desit, haec proxime ceterorum adiectiuorum e radice *sah* ortorum ad illa nomina *Semo Sigemon Sigemund* accedit. Nam suffixo participii medii *mâna* intercedere nonnullam cum suffixis *mant* et *man* cognationem, omnes fere, qui inquirunt in naturam linguarum Indo-Germanarum, uiri docti consentiunt. Qua in re haud scio an nulla probabilior quam Schweizeri sententia uideatur, quam exprompsit in Kuhnii Zeitschr. III, p. 346. Volt enim Schweizer primum e suffixis *mant* et *ant*, quae antiquissima sint, per debilitationem fieri formas *man* et *an*, deinde has ipsas formas rursus adiuncta uocali *a* et *gunatione* amplificari, et quodam modo crassiores solidioresque reddi.

Quae quoniam exposui, nouam mihi inter summos illorum populorum deos naturales communitatem assecutus esse uideor: summi enim dii, ut *Indra Mars Odhin*, cum fortitudinem praestent in opprimendis hostibus et sibi et hominibus infestissimis, in uniuersum uictores cognominantur. Eiusmodi autem cognomen pluribus diis imponi posse cum per se intellegitur tum Latinae religionis exemplo satis comprobatur, quae praeter Semonem Sancum maiorem Semonum numerum cognitum habebat. Iam Semones qui fuerint, quemadmodum de iis supra disputaui, non est quod pluribus exponam: Marutes nimirum sunt Italici, Martis dei comites sociique. Ex quo effici uidetur, ut Semo Sancus Sabinorum idem qui Latinorum Mars sit, princeps uidelicet Semonum, sicut Indra et *Mârutas* et *pitâ Marutâm* et *vritrahantamas* horum deorum est. Ac re uera non tam ego, quam Bréal (*Hercule et Cacus* p. 55), Varronem errasse dixerim, cum Herculem in iis sacris, quae ad aram maximam fieri solebant, in Martis locum antiquitus substitutum esse suspicaretur. Cf. Macrob. Sat. III, 12; Seruius ad Aeneid. VIII, 275. Nam et Salios, qui solemnibus illis sacrificiis ad aram maximam in Herculis honorem institutis intererant, nullius nisi Martis dei sacra curasse constat inter omnes, et ex carmine fratrum Arualium, quam arcta Martis Semonumque coniunctio sit, facile potest intellegi. Nihilominus tamen, si recte Bréal Iouem latere sub Semone Sanco uidit, ne ab huius quidem dei natura cognomen Semonis alienum est; nam Iuppiter ut ethicum ita naturale summum numen semper habebatur.

De Sigemundi Germanici dei ui ac natura non est, quod fusius disputemus. Hunc enim deum idem ualere quod Odhinum constat, cum *Odhin Sigmundr* in Scandinauorum poematis cognominetur (cf. Grimmii D. myth. p. 344); hunc non minus constat in epico Anglosaxonum carmine *Beovulf* eandem illam pugnam draconeam subire, quam

Nibelungias, heroicum Germanorum carmen, et Edda Sigfrido siue Sigurdho tribuunt, qui filius Sigemundi uolgo perhibetur. Quod autem pugna illa ad filium a Sigemundo uel Odhino patre deferri uidemus, idem prorsus fieri in mythologia posteriore Indorum Kuhn commemorauit in Hauptii Zeitschr. V, p. 487; quippe quorum in carminibus epicis non Indra, sed Arjuna, filius Indrae, Vṛitram daemonem caedens inducitur. Quid? nonne Graeci et ipsi ad Ἡρακλέα heroem, filium Διός, easdem pugnas uidentur detulisse, quas ueteriore tempore ipsius patris fuisse probabile est?*)

Atque etiam, si ea, quae de mythico Iliadis argumento et de proeliis Troianis Sonne sentit**), sequi licet, nomen Ἕκτορος ducis fortissimi huc referendum uidetur. Quod nomen, cum in lingua primitiua Indo-Germanorum non possit nisi *saghtar* sonasse (cf. G. Curtius in Kuhnii Zeitschr. I, p. 36), lingua sanscrita seruauit in *soḍhar*, cuius loco uedicus sermo antiquiorem formam *sâḍhar* siue *sâḷhar* praebet. Cf. Ṛgv. VII, 56, 23:

bhû'ri cakra marutaḥ pitryâṇi ukthâ'ni yâ' vaḥ
çasyánte purâ' cit
marúdbhir ugráḥ pṛitanâsu sâ'ḷhâ marúdbhir it
sánitâ vâ'jam árvâ

*) Ceterum hoc loco non praetermittam id quod in ipso scribendo in mentem occurrit: fieri posse, ut inter *Hagenum*, qui perfidus Sigfridi in Nibelungiade inimicus est, Eddicum *Högni* et Latinorum *Cacum* cognatio aliqua etymologica intercedat. Sed haec ut parum certa derelinquo.

**) Cf. Sonne in Kunii Zeitschr. XV, p. 106: *„Die mythische basis der Ilias liegt im wetterkampf, doch in widerstreitender auffassung. Nach troischer auffassung haben wir hier den kampf gegen himmelstürmende vṛitâṇi, die sich des sonnenhorts, der himmelsflut (der wasserfrau) bemächtigen wollen; nach hellenischer auffassung den kampf gegen die wolkenburgen der vṛitrâṇi, welche nach gelungenem raube de repetundis belangt werden.“*

Multum effecerunt, o Marutes, a patribus tradita carmina, quae uobis canuntur antiquitus. Cum Marutibus ingens in proeliis uictor, cum marutibus profecto (est) donator strenuitatis eques.

Sigemonem Celtarum, de quo aliud nihil memoriae proditum est nisi Martem esse eum, deum bellicum uix possumus non habere. Huc cum accedat, quod *Odhin* quoque et *Mars* bellicis rebus, bellicae fortunae, bellicae uictoriae postea praefuerunt, trium illorum populorum deos bellicos ex iisdem radicibus ortos esse uidemus: uno enim eodemque modo qui deus in pugnis naturalibus fortem se atque uictorem praebuerit, is in uniuersum deus uictor uictoriae belloque praeponi coeptus est.

Sed haec quidem hactenus. Vereor profecto, ne in iis, quae disputando disserendoque assequi conatus sum, nimis saepe nominum similitudines persecutus sim, cum multos possem ritus praecipue mythicos et caerimonias religiosas, quae magnam partem ab ultima antiquitate repetendae sunt, describere atque inter se comparare. Quae si quis diligentius perscrutatus erit, non dubito, quin maiorem etiam arctioremque appareat esse illorum populorum cognationem. Sed impetrare a me non possum, quin nonnulla eius generis praeter cetera maxime excellentia enumerem. Huc autem pertinet magna illa in sacrificiis equinis et in capitis equi immolati caerimoniis congruentia; huc spectat similitudo eorum sacrorum, quae ueris initio miro quodam consensu et in Italia fieri solebant et in nostra patria partim hodie quoque fiunt; de quibus optime Kuhn disseruit loco saepius allato, in Hauptii Zeitschr. V, p. 477 sqq. Huc non minus referenda uidentur multa ex iis religionibus, quas et in auibus animalibusque sacris, in auguriis atque auspiciis et in omni fere genere diuinationis utraque gens obseruabat. Conferantur enim, ut exemplo res comprobetur, *runae* quae uocantur Germanorum atque illa, quae per *runas* hasce fiebat

diuinatio et rerum futurarum praedictio, quam Tacitus describit in Germania cap. 10, cum sortibus Praenestinis; quas cortes Cicero in Diuinatione II, 41,85 prodidit perfracto per Numerium Suffucium quendam saxo erupisse in robore insculptas priscarum litterarum notis, quas idem ait (ibid. 86) Fortunae monitu pueri manu misceri atque duci. Cf. Preller *Röm. myth.* p. 561, Marquardt *Handbuch der röm. altertümer* IV, p. 103.

Huiusmodi denique quiddam Preller uidisse uidetur in iis, quae de Iano deo exposuit *Röm. mythol.* pgg. 151. 152; ad quem deum, cum solem significet, eodem prorsus modo fontium fluuiorumque origines referuntur atque ad Germanorum deos Pholum et Balderum. Cf. Grimmii *Deutsche mythol.* p. 207. Dicit enim Preller, ut ipsius uerbis utar: „*wenigstens wüßte ich einen ähnlichen glauben von der sonne in griechenland nicht nachzuweisen; wol aber finden sich spuren desselben glaubens in der deutschen und scandinavischen mythologie, wo Phol unh Balder zugleich sonnen- und quellengötter sind.*" Qua in re iterum, ut saepius, Italos Germanosque non tantum a religione Indo-Germana, quam Graecos desciuisse apparet. Indo-Germanis enim, cum oceanum nondum haberent cognitum, aetheriae regiones undarum, fluminum, marium, quibus terra rerumque uniuersitas circumfusa sit, plenae esse uisae sunt. Cf. Roth in *Zeitschr. der deutschen morgenländ. gesellsehaft* II, p. 224. Quas imagines Itali et Germani incolumes retinuerunt, Graeci maximam partem ad ipsum mare transtulerunt; quippe quorum deus Ποσειδῶν aeque atque Varuna in Indorum brahmanicorum religione e caelesti solis lucisque numine deus marinus euaserit. Cf. Kuhn in *Zeitschr. für vergl. sprachforschung* I, pgg. 455—457.

Hermannus Osthoff de uita sua.

Natus sum anno h. s. XLVII, die XVIII. mensis Aprilis, Billmerici, qui uicus est in Westfalia. Patre utor Francisco, matre Lisetta, e gente Bimberg, quos uiuos adhuc pio animo ueneror. Fidem profiteor euangelicam. Litterarum primordiis imbutus sum primum per quinque annos apud ludi magistros, dein per biennium et semestre in schola Latina Unnaënsi. Inde a uere anni LXI. in numero discipulorum gymnasii Gueterslohensis fui, cui tum praeerat Theodorus Rumpel. Praeter quem praecipua erga me beneuolentia me sibi deuinxerunt, quorum egregia usus sum disciplina per spatium annorum quatuor et semestre, Petermann et Muncke. Maturitatis testimonio instructus auctumnali anni LXV. tempore academiam adii primum Bonnensem, philologicis studiis operam nauaturus. Sed mox me litterae sanscritae linguarumque Indo-Germanarum comparationis studium in dies magis allicere coeperant. Quam ob rem, cum ter sex menses Bonnae commoratus essem, Tubingam me contuli, ut eiusmodi studia, quorum elementa me docuerat Gildemeister, Rothio duce continuarem. Post annum et dimidium Berolinum migraui, in qua urbe hiemem hanc nouissimam transegi. Vnde reduci contigit mihi, ut hanc almam litterarum uniuersitatem Rhenanam denuo uiserem.

Scholis per hosce annos interfui uirorum doctorum Bernaysii Gildemeisteri Iahnii Simrockii Springeri Vseneri Knodtii B. Meyeri Bonnensium, a Kelleri Michaelis Rothii Teuffelii Tubingensium, Steinthalii Weberi Berolinensium. Quibus uiris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas, imprimis autem Gildemeistero Rothio Webero, quorum potissimum operae debeo, si quid in linguae sanscritae cognitione studiisque linguarum comparatiuis profecero.

Sententiae controuersae.

1. Naturale uniuscuiusque mythi argumentum prius, cetera omnia posteriora putanda sunt.

2. Quam rationem fabularum explicandarum mythologia comparatiua sequitur, plane oppositam esse censeo ei doctrinae, quae ab Euhemero nomen et originem ducit.

3. Buddhae religionem ac disciplinam non tam nocuisse, quam profuisse septemtrionalibus et austrionalibus Asiae populis contendo.

4. Vocem norroenam *hvergelmir*, quam Grimm interpretatur *„der rauschende keßel“*, iisdem uocabulis contineri, quae in uedico sermone *caru* et *gharma* sonant.

5. Quam non sibi constans orthographia nostratium sit, apparet ex uocabulo *mist*, quod rectius *mihst* scriberetur.

6. Etiam in Italorum linguis occurrit ea sonorum commutatio, quam *lautverschiebung* in linguis Germanicis uiri docti uocant; atque inueniuntur quidem exempla consonarum mutarum non modo de primitiuo gradu, sed etiam de secundario demotarum.

7. Vt linguarum comparationis studium rite colatur et augeatur, non minus seminaria institui necesse est, quam ad iuuanda studia philologica.